



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vtî amans anima humiliter supplicet corruptibili corpore eximi, adq[ue]
superna gaudia peruenire. Cap. III.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

Vti amans anima se resignet desideretque per pœnas martirij eximi molestijs corporis, suoque amato coniungi.

CAPVT II.

In felix ego homo, qui me liberabit de corpore mortis huius? Quamdiu moriar in te & corpus morbidum & mortiferum? immo quamdiu viues tu ad moreificationem meam continuam, & non morieris? Vbi sunt omnes antiqui temporis crudelissimi persecutores nominis Christiani, vt in me Christum confitentem deszuant, & me per crucis patibulum reddant crucifixo? Scringantur gladij, pareantur ignes, ferarum rabies incitetur, exercentur omnia genera tormetorum: Christiana ego sum. Quid moramini? Si perimendi sunt Christiani, ecce dixi & dico, quia Christiana ego sum. Sed quid loquor? Ecce non comparent carnifices, & Ecclesia Dei pax est: & ecce in hac die quæ ad pacem mihi, & in hac pace amaritudo mea amarissima. Amara enim nimirum est hæc pax quamuis bona, illam optimam & pacatissimam æternam & dulcissimam pacem differens. O quam omnino iucundissimi agones martyrum corpus miserum occidentes, saccum conscindentes, vitam conterentes, & animam gramen & cinerum in coelestem thalamum, in horrea horroris nescia, & in cellam vinariam transmittentes. Quis timeret miseri corporis occisores, diligens eum qui habet potestatem animam & corpus ad coelestem iucundissimum & amantissimum paradysum transferre? Hei quam fortiter pœnas potuerunt contemnere, qui tam opprimem & lætissimum præmium pœnarum in manibus tenuerunt. Quam summè bonum, & quàm iucundum, ex hoc pessimo & tristissimo corpore mortis subito emigrare, & ad vitam incorruptibilem sine mora transire? Quis mihi det hanc mortem breuem & desiderabilem, me ab hac morte quotidiana & continua, quàm patior liberantem?

Vti amans anima humiliter supplicet corruptibili corpore eximi, adq̃ superna gaudia peruenire.

CAPVT III.

O Dulcissime & serenissime pater misericordiarum & totius consolationis, qui me in hoc tam laborioso huius corporis carcere deuinxisti: liberator meus de gentibus iracundis, dirumpe iam vincula mea, vincula amarissima, vincula mortis, vincula tenebrarum, vt conuersa in requiem dulcedinis tuæ vitæ æternæ, libertatis nobilissimæ, iam tibi sacrificem hostiam laudis memetipsam, & inflammer & illuminer à fortissimo & lucidissimo igne charitatis & claritatis tuæ. O Deus meus vita mea, dulcedo mea sancta, quamdiu stabis post parietem corporis mei, & tam modica, obscura & breui me visitatione respicies, & cordi meo tam minimas tuæ maximæ dulcedinis guttulas instillabas? Veniat obsecro nunc tandem de thesauris summæ Trinitatis torrens fortissimæ charitatis, qui violentia dulcedinis suæ hos odiosos obices corporis mei potenter euellat, vt egō sicut passer erepta de laqueo venantium, laqueoq̃ contrito liberata, in tam diu cupitos amplexus tuos nullo impedimento obstante ruere possim, gaudeam, & exultem palam deosculans te fratrem meum, Dominum meum, Sponsum meum

amant-

amantissimum, potētissimum, dulcissimum, & ab vberibus plenissimæ consolationis tuæ merear consolari, destructo & deiecto hoc pariete inimicitarum, scilicet corpore meo, quod tunc post mortem principium veræ vitæ incipiam diligere & desiderare propensius. Scio enim me idem corpus tunc incorruptibile recepturam & cum ipso stolam duplicem habituram, nec impleri poterit gaudium meum sine reparatione corporis mei, quod nunc licet in tristitia & dolore mihi cooperatur, vt oleum laudis pro luctu, vel pallium gaudij pro mœrore, coronam dulcoris pariter & decoris pro cinere humiliationis & squaloris, præstante te dulcissime Sponse meus quandoque feliciter merear obtinere, cum canente tuba nouissima, mortui resurgent incorrupti & nos immutabimur: cum corruptibile hoc inducet incorruptionem & mortale hoc inducet immortalitatem: quando absorbebitur mors in victoria, ita vt non solum non timeatur, verum etiam nec mentio eiusdem habeatur, omnibus securissimè, quietissimè, iucundissimèq; viuentibus, & vitam æternam in pane viuæ, in pane Angelorum manducantibus, & haustum vitæ perennis de fonte vitæ, fonte dulcissimè & lucidissimè haurientibus, bibentibus omnibus pro voluntate & capacitate sua, quantumcunque placet, quantumcunque liber de vita vitam, de salute salutem, dulcedinem de dulcissimo corde tuo dulcissime Christe Iesu.

Vti amans anima mundum huncce fallacem deploret: in quantas item calamitates per protoparentum præuarcationem incidimus vniuersi.

CAPVT IV.

Quid autem de hoc mundo immundo loqui poterò? Quid mihi & tibi o munde immundissime, carcer tenebrose, ergastulum squalidissimum, sentina fetidissima? Quid mihi, inquã, & tibi est? Quamdiu in te exiliũ patiemur, exules filij exulantis olim, nunc autem in patria lætantis Adæ? O infelix commercium, cum ille à serpente deiectus pro tua miseria paradysi delicias commutauit. Infelix verè transiit de incorruptione ad corruptionem, de vita ad mortem, de luce ad tenebras, de gaudio ad dolores, de colloquio dulcissimi, suauissimi & totius desiderabilis Dei, ad confabulationes amarissimæ, & perditissimi, & pessimi inimici. Sed vtinam radix sola, id est, primi parentis vitium incurrisset, vt non simul cum ipsis & in ipsis tota posteritas corruisset. Sed heu corruerunt homines omnes, & ego in omnibus non enim melior sum, quàm patres mei. Corruimus inquam, in hanc vallem lachrymarum, conuallem plorationis, foueam tenacis bituminis, in hoc exilium plenum laqueis innumeris & inextricabilibus, plenum timore nocturno semper suspectum à sagitta volante in die, semper timorosum à negotio perambulante in tenebris, semper horribile ab incurso & demonio meridiano. Quis locus hic securitati, aut quieti relinquatur? In nocte aduersitatis nos timor angustat, in die prosperitatis sagitta dilationis nos vulnerat, in tenebris ignorantia diuersis modis demonia nos negotiosa decipiunt, in meridie honorum non nunquam incurrentibus nobis demonijs à dierum nostrorum medio, id est, à bonis operibus ad perfectionem tendentibus, reuocamur. *Hæc mihi, quia inter hæc incolam meus prolongatus est.*